DE PACE
ORATIO
GRATULATORIA,

HABITA UNIVERSITATIS NOMINE,

in Majoribus SORBONÆ SCHOLIS,

Die Jovis 27ª mensis Februarii, an. Dom. 1749.

A CAROLO LE BEAU, Rhetorices in GRASSINÆO Professore,

Et in Regiâ Inscriptionum & Litterarum Academiâ Socio.

Universitatis jussu edita.



PARISIIS,

Apud THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Parisiensis Typographum, in Plateâ Cameracensi.

M. DCCXLIX.



DE PACE
ORATIO
GRATULATORIA.



UM in rebus feliciter Bello gerendis mirificè exultet animus, & acerrimâ voluptate effervescat; tum postquam egregiis laboribus defuncti consedimus, habet illa quies quamdam dulcedinem, quæ semper immixtam vel maximis præliorum laudibus acerbitatem mitigat, affertque suam bellicis gaudiis maturitatem: ILLUSTRISSIME SENATUS PRINCEPS, ILLUSTRISSIMI PRÆSIDES, INTEGERRIMI SENATORES, VIRI OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI. Inest enim in Victoriæ lætitiâ asperum quiddam & turbulentum: obstrepunt vincentium cantibus dissoni lugentium clamores; & in clarissimo quolibet triumpho spirat aliquid è pompâ funebri;

cùm in illo magnifico apparatu non eorum modò gloria, qui vicerunt, ſed eorum etiam, qui victi ceciderunt, exſequiæ duci videantur. At verò in PACE, quæ res bene geſtas ſequitur, pura & ſincera nitet hilaritas, nullâ erga alios miſeratione, nullâ de nobis in poſterum ſollicitudine perturbata: præteritas victorias ſecuri reſpectamus, quæ non jam nimiâ propinquitate perſtringunt oculos, ſed amœniùs rident in bono lumine collocatæ: nemini lacrimas gaudia noſtra eliciunt; nemo cantibus noſtris ingemiſcit: creſcit noſtra felicitas alienæ conſpectu felicitatis.

In ſuaviſſimum hunc rerum ſtatum REGIS noſtri prudentiâ, fortitudine, juſtitiâ adducti, quam apud ceteras Europæ Nationes ex reſtitutâ quiete delectationem undique diffuſam circumſpicimus, eamdem ipſi quoque jucundiſſimè experimur, lætamurque noſtras tandem victorias, jam extra fortunæ aleam in PACIS gremio depoſitas, tantâ claritudine terminari. Neque profectò cuiquam PAX venit optatior, quàm vobis, ILLUSTRISSIMI CURIÆ PROCERES, qui pretioſiſſimam Regiæ adminiſtrationis partem ab ipſo REGE vobis attributam ſortiti, PACEM maximè exornatis; domeſticum ac civile bellum, quo concurrunt inter ſe atque confligunt humanæ cupiditates, ingenio, integritate, conſtantiâ coërcetis, ſanctiſſima tuendo jura æquitatis; quæ ſi mortales inter pro ſuâ dignitate dominaretur, jaceret bellorum furor, perpetuâ animorum concordiâ ſepultus.

Tantam commiſſi vobis muneris amplitudinem venerata ſemper ACADEMIA PARISIENSIS, vos ab omni memoriâ temporum ſibi tutores ac patronos amplexa eſt: veſtrum in pectus conſpirantes vobiſcum animi ſui ſenſus effundere ſibi dulce & decorum exiſtimat. Illa PACIS Artium in Galliâ atque adeò in totâ ferè Europâ genitrix, dum creditam ſibi

juventutem ad tutandam quoque Patriam accingit, tenerisque mentibus injicit spiritus verè Gallicos, ipsam tamen præcipuè convertere studet ad cultum placidæ humanitatis.

His ego nunc auspiciis PACEM laudare aggredior: magna res, & quæ vocem desideret meâ voce grandiorem, nisi recepta penitus pectoribus vestris ipsa PAX adjuvaret Orationem meam, sua vobis & decora & commoda ostentando. Quæ licet regiones novas non venditet pro dote ad nos allatas, affert tamen & gloriam & utilitatem omni munere majorem. Eam igitur ostendere mihi propositum est ita gloriosam, ut vel sine utilitate prædicanda sit; ita utilem, ut vel sine illis gloriæ insignibus fuerit expetenda. Quæ duo dum breviter persequor, favete, quæso, AUDITORES; & ad REGIS vestri laudes, quibus Gallorum aures suaviùs etiam quàm suis deliniuntur, animos vestros excitate.





PARS PRIOR.

ILLUD eſt ſummæ poteſtatis ſplendidiſſimum jus & cum ipsâ conjunctiſſimum, ut immenſo quidem infra Deum intervallo conſtituti Reges, Deo tamen inter ceteros mortales proximi, quemadmodum ille dat ſignum ventis, emittit tempeſtates, effuſaſque revocat & comprimit, ita belli paciſque vices arbitrio nutuque moderentur. Sedentes in otio Populos ad arma excitare, eorumdem frenare impetum; commovere ſuorum manus, commotas ab ictu cohibere; accendere fulmina, quibus quaſſatæ corruunt Urbes Regnaque contremiſcunt, eadem reſtinguere, ipſorum eſt. Bella quidem non gerunt ſoli; ſed bella ſoli decernunt, ſoli componunt PACEM: ut igitur, utrùm arma juſtè capiantur, totum eorum Famæ periculum eſt; ſic ad eos præcipuo jure pertinet ea laus, quæ ducitur ex ſplendore magnificæ PACIS.

Ejus verò laudis an omnino nulla pars pervenit in Populos? An præclarâ in PACE habent quidem multa queis fruantur, quo glorientur nihil habent? Imò præter eam gloriæ lucem quæ ex REGIS ſui claritate in ipſos refunditur, id etiam habent proprium ac ſuum, quòd non REGIS ſolùm conſiliis, ſed ſuâ quoque operâ effectum ſit, ut legibus honeſtis bellum componeretur. In REGIS ſapientiâ poſitum eſt, ut velit, in Populorum manu, ut poſſit incolumi dignitate recondere gladios; cùm nulla ſit ſatis decora PAX, quæ turpe bellum conſequatur.

Sed honeſtam PACEM, quam tandem eſſe dixerim? Eamne quâ jugum imponitur grave acerbumque victis, quâ Impe-

rii limites ultra juris terminos proferuntur, quâ per fœderum fideique humanæ ac jurisjurandi ſanctitatem injuriæ conſecrantur ? Quid in illâ PACE veri decoris, quæ tota ex injuſtitiâ effulget ? Eam ego PACEM honorificam vocaverim, quæ non coacta & expreſſa damnis, ſed triumphis quæſita, in ipſo progreſſu lætarum rerum inter lauros enata, nihil cupiditati, omnia juſtitiæ tribuit ; concuſſaque vi diſſidiorum legitima jura ſtabiliendo, ſic etiam delet memoriam diſcordiarum, ſic æquatis cuncta librat ponderibus, ut propè, utri vicerint, ſi annales ſileant, in incerto relinquatur. Ex hâc imagine, quis non agnoverit eam, quâ nunc lætamur, PACEM; glorioſam LUDOVICO, cujus moderationem declarat; glorioſam Gallis, quorum fortitudinis præmium eſt.

Quantâ moderatione fortunæ ſuæ vim repreſſerit Bellator non ſuî minùs quàm rerum potens, teſtatur ipſum fœdus, dum de LUDOVICI commodis ſilet, dum nullam ipſi mercedem relinquit laborum, præter pulcherrimam defenſorum ſociorum ac ſervatæ dignitatis ſuæ conſcientiam. Hæc autem abſtinentia utrùm voluntaria ſit, utrùm magna, utrùm etiam Victoriarum laude præclarior, interroga Victorias ipſas, interroga tot captas Urbes, tot Arces expugnatas. Quid optare LUDOVICO, quid poſtulare, quid ſibi depaciſci liceret, clamabunt ipſa rudera everſorum munimentorum, clamabunt campi præliorum commemoratione inſignes. Ad illuſtrandam LUDOVICI temperantiam quænam vox vehementior audiatur ? Et affero tamen teſtimonium aliquanto gravius, nec recuſandum vobis, ô Gentes nunc recenti fœderum vinculo nobiſcum iterum conjunctæ : vos, vos inquam, teſtes appello : vos in æſtu diſſidiorum, flagrantibus tum maximè odiis, graviſſimam REGIS noſtri moderationi commendationem addidiſtis : vos quàm incredibile eſſet LUDOVICUM

Victorem posse continere sese à cupiditate amplificandi Imperii & dictis & scriptis non semel declarastis. Futurum igitur LUDOVICI præconium jam antè inscientes adornabatis: hæc enim omnia quanto tunc infestiùs jactabantur, nunc cùm vana ex rerum exitu deprehensa sint, tanto modestum Victoris animum prædicant vehementiùs.

Obstrepebat confusus tot passim vociferationum & querelarum sonus sanctissimis LUDOVICI vocibus, qui ex quo primùm justis ad arma causis compulsus est, non destitit offerre pacem eâdem dexterâ, quâ proruebat urbes exercitusque sternebat. Pacem ab ipsis belli primordiis totâ mente intuitus, nunquam ab eâ dejecit oculos: PACEM per cædes, quibus ingemebat, per murorum ruinas, quas calcabat invitus, persequebatur: non Provincias, non Urbes, PACEM unam quærebat armis; neque aliam ob causam tam inquieto bello fatigabat hostes, nisi ut secura tandem, Europa, quiesceres. Ecquæ Victoria fuit tam illustris, cujus captus illecebris non ex medio ejus amplexu respectaverit PACEM, PACEM vocaverit? Talis in Fontenæi, in Laufeldi cruentis campis, adhuc atrocissimo prælio calens, qualis antea Versaliis fuerat, qualis postea ejus animus per Legatos suos Aquisgrani fuit, non suo, non suorum periculo exasperatus, nullâ prosperitate tumens, ideo non altior quia per se magnus est, hanc unam ab iis quos superaverat exigit victoriæ mercedem, ut iniri de PACE colloquia patiantur.

Sed venia fortasse danda hostibus fuit, quòd tam insolitam animi continentiam ut sperarent adduci minimè poterant; cùm in rapido cursu prosperarum rerum augeretur quotidie potestas non standi promissis; & una quælibet æstas, imò una ferè quælibet dies LUDOVICI armis adjiceret aliquid retinendum cupiditati, moderationi relinquendum. Quan-

quam tamen ſingularum victoriarum manſuetudo vel hoſtibus fidem facere debuit, quid æquitatis foret ex univerſo bello expectandum. Quantâ lenitate ſe geſſit LUDOVICUS erga expugnatas Urbes, cùm hoſtium ferme non minùs quàm ſuorum ſanguini parceret, cùm dedentium ſeſe non ſaluti ſolùm ſed honori conſuleret, cùm & ſuorum & captorum labores pariter levare conaretur, cùm illo vultu non victoriâ incenſo ſed pacato & amico ingrederetur, certante circa eum civium nuper ſubditorum ſtudio & cum Gallis militibus, utri REGEM impenſiùs colerent, & cum ipſo REGE, utri victoriâ magis gauderent! Hoſtes verò vulneratos, trepidâ ſuorum fugâ deſertos, quantâ curâ tolli jubebat cum ſuis, ſpiritumque, qui in medio gloriæ ſibi eripiendæ conatu propè defecerat, revocari. Omne Gallos inter & Hoſtes diſcrimen clemens victoria ſuſtulerat; permixtique in Noſocomiis victi cum victoribus alimenta, remedia, curas nobiſcum unà partiebantur: non Gallos eſſe ſe, tantùm in prælio ſenſerant. At quos armorum ſors captivos LUDOVICO tradiderat, non incluſi carceribus, non inopiâ rerum & regionum ſqualore macerati, ſub REGIS tutelâ inviolati, procul à belli malis felici Galliæ cœlo fruebantur; in fortunæ noſtræ partem veniebant; explebat apud eos Patriæ deſiderium hoſpitum comitas; totamque Galliam in medio Europæ ſinu poſitam mirabantur, quaſi templum quoddam humanitatis ac lenitatis.

Hoc bellum, cujus nulla pars non aliquâ manſuetudinis notâ inſignita eſt, niſi PACE moderatâ finitum eſſet, nonne à ſe ipſe LUDOVICUS deſciviſſe videretur? Habet tamen belli præmiorum contemtor animus præmium omnium ampliſſimum, atque ejuſmodi, ut iis cumulatiſſimum obveniat, qui cetera abjiciunt. Eſt enim hoc inter mortales naturali quo-

dam pacto constitutum, ut præclarè factis quanto contingit emolumenti minus, tanto plus gloriæ addatur. Obligatum se putat ei viro humanum genus, qui gratuitò res egregias fecit: uno consensu Nationes omnes, omnia secula mercedem illi exsolvunt laudis ac prædicationis, fenore sempiterno. Non protulit Regni sui valentissimi limites LUDOVICUS; sed amplificavit illud, quod omni Regno latiùs patet, quod eminet etiam in posteritatem, Imperium, quo regnatur in animis: propagavit firmisque defixit fundamentis reverentiam apud Exteros, auctoritatem apud Socios, fidem apud omnes famamque virtutis. Hæredem se non degenerem præbuit optimi Gallorum REGIS, cujus ex ore sacro quondam editum est, & ad omnium Regum aures personuit præconium ingens, *fidem si è mortalium cœtu ejiceretur, in ore Regum residere oportere.* Hoc tam bono Rege quamvis felicior LUDOVICUS, non minùs tamen verax & fidelis, quod integro bello professus erat, id Victor confecto præstitit; atque ex defensis Sociis ac vindicato Regni sui decore id unum est consecutus, ut cùm eum omnibus gentibus admirabilem bellum fecisset, iisdem quoque carissimum PAX efficeret. Quantum ad labores Gallorum nobiles illos ac felices ex tam modestâ PACE refulget laudis! Huic etiam PACIS moderationi eximia Gallicæ virtutis facinora, quæ priùs eam incredibilem faciebant, quantum luminis pretiique adjecerunt!

Et dignus profectò fuit pulcher bellorum finis, qui maximis fortitudinis humanæ conatibus peteretur. O quæ nunc benignâ manu mederis vulneribus, AMICA PAX, quæ deformatam priùs miserabili strage tot agrorum faciem tutis jam messibus operire meditaris, quæ dejectas urbes ac penè sepultas cineribus excitas è ruinis, per te mihi liceat respicere velut è portu præteritas oppugnationum præliorumque tempestates,

peſtates, quibus jactata aliquandiu & fermè demerſa videbaris, ut nitidior nunc clariorque emergeres. Quócumque circumfero oculos, impreſſa omnia video veſtigiis laudum: *Scaldim*, *Moſam*, *Rhenum*, multis jampridem certaminibus nobilitata flumina, & bellicum quiddam ſonantia; ſuperba priùs validiſſimis, quas præterluendo muniebant, arcibus; nunc inter conſitas LUDOVICI palmis ripas decurrentia: facilè perruptas oppidorum moles, Imperio noſtro velut aggeres & clauſtra oppoſitas, quæ nunc quanquam Finitimis reſtitutæ, non tam eorum terras ſuis propugnaculis, quàm fines noſtros Gallici nominis terrore tutantur & memoriâ celerrimæ expugnationis.

Nam contrà quàm apud Orientis Populos in more poſitum eſt, ut finitima inter ſe potentiſſima Imperia immani deſertarum terrarum latitudine diſterminentur, & pro certiſſimo finium ſuorum præſidio ſibi circumdent ſqualorem, ſolitudinem, vaſtitatem; Gallis quidem, genti ad humanitatem natæ, jucundiſſimum eſt Imperii ſui ubertatem vicinorum ubertate continuari; ridere omnia circa ſe gaudent; circumſpicere amant apud Finitimos florentes urbes, ſegetes lætiſſimas; ſed ipſis tamen nullum tutius terminorum munimentum eſt, quàm earum ipſarum Urbium mœnibus inſcripta diu vis armorum ſuorum; inter uberrimas ſegetes ſignata campis ſuarum pugnarum nomina; & prolata longiùs in Finitimorum terras veſtigia victoriarum, quæ irrumpendi cupidis Galliæ aditum faciunt latè horribilem. Sua Gallis tropæa pro vallo ac ſepimento ſunt.

Quantam opponet formidinem exterorum animis ipſe campi *Fontenæi* conſpectus, ubi diram illam aciem, horrentem telis, fœtam ignibus, longo tractu undique minitantem, obſtinata Virtus multo niſu multoque anhelitu tandem disjecit!

Eos audire mihi videor notata locis ſingula facinora commonſtrantes : huç ſeſe primùm incuſſit pertinaciâ noſtrorum efferata Gallorum vis : heu ! quanta in incurſu, in conflictu, in ipſo obtutu atrocitas ! Hîc lectiſſimi equites, invicta bellis omnibus manus, illic fortiſſimi pedites, adverſi adverſis cohærentes ac mutuò propellentes, infixis utrinque haſtis, gladiis, alternâ impreſſione ac motu corporum Victoriam aliquandiu quaſi librârunt, tandemque rapuerunt. At illo loco, inquient, ſtabat impavidus intra vulnerum periculum LUDOVICUS, totam in conſilio, in ipsâ fronte fortunam gerens ; cujus oculorum conjectu velut ancipiti ſidere accenſi furebant ſuorum animi, noſtrorum mentes perculſæ pavebant. Aderat DELPHINUS, jam paternæ magnanimitatis hæres, qui juvenili audaciâ fervens, leoni nuper adulto ſimilis, in vulnera, in flammas totâ cupiditatis vehementiâ ruens, vix Patris imperio continebatur. Volitabat per ordines ægro corpore, animo valentiſſimo ille Dux, addictus aptuſque ingentibus LUDOVICI fatis, ſtrenuus manu, conſilio vigens, omnium belli artium gnarus ; victoriæ contemtor, ubi cunctandum eſt ; eamdem, ubi dimicandum, certò ſecum trahens ; in tumultu pugnarum tum maximè pacatus & ſuî compos ; cujus tum maximè celerior quàm fulgur contuitus oculorum eſt, major impetus quàm fulminis. Hos diu gemitus Vicinis noſtris locus ipſe eliciet.

Ex aliâ parte admonebunt animoſæ Gallorum fortitudinis *Raucuſii* ſaltus. Illic inter ſepes omni pernicie inſtructas mortemque ignitis mille faucibus evomentes, ſingulis ferè paſſibus ſingula munimenta perruperunt ; hoſtibuſque citra Moſam nimis confidenter ceſſantibus cunctationem luctuoſam reddiderunt.

Terrebit, & cruentam recordationem objiciet *Laufeldenſis*

pagi facies noviſſimumque certamen, in quo ſuperanda fuerunt propè omnia pericula bellorum ; perfringendæ munitiones, aperienda ſibi via, claudenda hoſtibus, qui patente aditu pro mortuis vivos, pro ſauciis integros, hydræ ſimiles, perpetuò ſufficiebant ; vincendus alius æquo campo ſtans exercitus : perfregerunt, aperuerunt, clauſerunt, evicerunt : unus pro multis quiſque miles & ad ſingulas hoſtium ſibi ſuccedentium vices repetito conatu ipſe ſeſe renovans, perfuſi & ſuo & hoſtili cruore, id agebant unum, ut præſenti LUDOVICO, ſuoſque animos ſuorum animis addenti, vel audaciam ſuam, vel mortem approbarent. Ergò ignotum antea triumphalibus Galliæ faſtis Laufeldi nomen, effecerunt, ut eſſet in poſterum formidandum hoſtibus ; Gallis ornamentum ingens & incitamentum virtutis. Hæc, ô Galli Duces, ô Milites, in Finitimorum campis monumenta defixiſtis, in longas ætates duratura.

Ecce attollit ſeſe oculis aliud monumenti genus, nec minùs decorum Gallis, expugnatæ Civitates, quarum pleræque captæ ſunt ipſo oppugnationis nuntio celeriùs ; paucæ tandiu ſolùm videntur obſtitiſſe, dum divagatus per Europam rumor, converſis in eam partem omnium oculis, ſpectaculum cohoneſtaret. Hîc multitudine rerum obrui me ſentio : confertim offerunt ſeſe cogitanti *Gandavum*, *Brugæ*, *Aldenarda*, *Teneramunda*, *Neoportus*. Eodem anno *Lovanium* capitur, *Antuerpia* portas aperit, *Montes* & *Caroloregium* terribilem arcibus CONTII manum non ſuſtinent, cadit *Giſlenopolis* ; & quæ ſingulæ quondam vel univerſum totius æſtatis bellum memorabile faciebant, nunc vix paucorum aliquot dierum decus faciunt univerſæ.

Tornacum non tutantur firmiſſimi aggeres, arces munitiſſimæ, non exercitus ad illidendas muris obſidentium copias

raptim ab acerrimo Principe concitatus. Fregit urbis propugnacula vis eadem, quæ Fontenæum cuneum perfregerat; totaque & operum & auxiliorum moles pariter disjecta & diſſipata ad id unum evaſit, ut expugnationem duplici clade inſigniret. *Oſtendæ* neque in ſuis munimentis, quæ univerſas olim Hiſpaniæ vires toto triennio in obſidionem incumbentes repulerant, neque in optimo portu, quo ſuccincta eſt, neque in mari, quod propè tunc conſentiebat conſpirabatque cum hoſtibus, ullum præſidium fuit. Atque ut non humanæ ſolùm opes, ſed ipſa natura tempeſtateſque vincantur, à *Bruxellis* non aſperitas hyemis, non convectandi labor MAURITIUM Galloſque deterrent: ſæviente Februario, inſpectante qui ad urbem liberandam concurſabat exercitu, expugnatur; ſimulque alter intra mœnia exercitus, octodecim peditum, novem equitum cohortes, ſeptemdecim primi ordinis Duces, quot fortè nunquam diuturno quolibet bello capti fuêre, cum unâ civitate capiuntur.

Creſcit progreſſu vincendi difficultas. *Namurcum*, quam urbem! ipſo nomine & laborioſæ quondam obſidionis famâ adhuc reformidatam, vallatam rupibus, caſtellis & gemino flumine cinctam, aditu penè invio; hanc arcem unicam Auſtriacis quæ Moſam inter & Mare ſupereſſet, victoriarum noſtrarum lateri imminentem, collectis viribus protegebant hoſtes, opportuniſque caſtris ac vel ipſo ſitu defenſis tuebantur. Quis, ut hærentes excutiat ac revellat, quamlibet multo ſanguine non paciſcatur? Eos tamen Dux idem, qui non ſemel aut eluſerat aut vicerat, ſine ullo certamine, ſolo motu & comminatione armorum, ſolerti circuitu & ſcitè dimenſis itinerum intervallis ac converſionibus, commeatu intercluſo obſeſſos ipſos & è ſtativis detractos trans Moſam compellit; ac civitatem externo præſidio nudatam, adhuc tamen ſuo

ferocem , Princeps Magni Condæi memor , oppugnationum celeritate & peritiâ intra ſex dies ad deditionem adigit.

Voſ-ne , ô Batavi , Gallorum quoque virtutem , quæ præſtò quondam fuerat ſtabiliendæ veſtræ libertati , infeſtam experiri maluiſſe ! In *Bergæ* ad *Somam* paludibus , quæ vim omnem ab Urbis plùs quàm tertiâ parte arcebant , in abſolutiſſimi operis munitionibus , in immenſo & perplexo tractu tot cuniculorum , ubi undique circum Urbem adeuntibus inſidiabatur occulta mors , in exercitu , qui libero commeatu quotidiana militum veſtrorum damna reſarciebat , fruſtrà vos confiſos eſſe ſenſiſtis. In eventum tam præcipitis Gallorum audaciæ ſuſpenſa expectatione Gallia , erecta omnis Europa ; ſecura propè ob fiduciam Batavia : Bergenſibus , ad manum annona affluens , inſtructiſſimum armamentarium , parata in portis auxilia , alter exercitus obſidentium tergo imminens , Batavia omnis in ſubſidiis aderat : ſua virtus Gallis & LOWENDALUS.

Captâ Civitate , & poſt bimeſtrem obſidionem , cùm tamen irruptionem nondum maturam munimentorum invictum robur repudiaret , aperto Marte expugnatâ ; eâ Civitate , quæ Batavorum ſpiritus omnes in propugnaculis ſuis tanquam in arce tutiſſimâ collocatos habuerat , quam nec capi poſſe crediderant , vix ex ipſo demum eventu captam crediderunt , ſtupente Bataviâ , trementibus ad tantæ ruinæ ſonitum ceteris ejus Provinciis , ecce *Trajectum* ad *Moſam* contracti hoſtiles exercitus hanc noviſſimam ſpem fovebant. Dicant periti artium militarium , quâ ſolertiâ MAURITIUS unus tot Ducum prudentiam ludificatus fuerit; quo conſilio egregius bellicarum ſimulationum artifex eos ab Urbis , cui tuendæ totis viribus incubabant, cuſtodiâ deduxerit. Enarrent illud iter conſignandum bellicis annalibus & poſteris documento futurum , quo diſtractis hoſtium copiis , ipſe turbinis ritu repentè ingruens , famam

adventûs sui, circumcluso undique Urbis aditu, præcucurrerit. O quanto plus unâ Urbe, quàm omnibus antea ceteris partum fuit! Ex singulis Oppidis singuli tantùm triumphi referebantur: hîc omnium triumphorum fructus, exoptata illa PAX, tandiu quæsita, tandiu fugitans, quæ instantem ubique LUDOVICI manum hactenus fefellerat, vestigata tandem, deprehensa, expugnata est. Quæ quantum & ex moderatione LUDOVICI & ex fortitudine Gallorum gloriæ acceperit postquam expositum est, nunc quid secum afferat utilitatis expendemus.





PARS ALTERA.

QUAMVIS inter diſſidia Rerum publicarum, quæ, diſceptante Providentiâ, exercituum manu decernuntur, judicium ferri exiſtimetur ſecundùm Victorem, eum tamen ego Principem non modeſtum ſolùm, ſed ſapientem arbitror, qui pronuntiatam à Victoriâ ſententiam ſummo jure non exſequitur, & in componendâ PACE, ex alto fortunæ ſuæ faſtigio ultro ſe demittens, ita cum aliorum rebus commetitur res ſuas, ut ad quamplurimos PACIS utilitas diffundatur. Ecquis enim fœdus illud PACIS ſatis fidum certumque crediderit, quod defatigatione & neceſſitate expreſſum eſt ? Conticeſcit quidem ſonitus armorum, ſed reſidet in animis dolor, ſimultas, bellum ipſum ; neque diutius concordia viget, quàm dum eam aut ſpes aut deſperatio abruperit. Illa demum firma PAX atque ſtabilis eſt, illa ipſis hæret inſcripta ſenſibus, quam non victoribus ſolùm, non ſolùm ſociis, ſed victis etiam expedit firmam eſſe ac ſtabilem ; in quâ victoriarum gloria quidem ad unum, fructus pertinet ad univerſos. Tale præ ſe fert ingenium ea PAX, quam & novis & veteribus amicis & nobis ipſi gratulamur : hæc citra invidiam eſt ; hæc tam ſine vi, tam ſine ſuperbiâ offert ſeſe & occurrit, ut ab omnibus qui inter ſe bellârunt, data pariter, pariter accepta eſſe videatur. Prodeſt Europæ, quam ſublevat ; ſociis noſtris, quorum jura aut reſtituit aut confirmat ; Gallis, quos cumulatura eſt omni bonorum ubertate.

Prima quidem PACIS aura quàm ſuavis ad omnes acciderit, argumento eſt expedita celeritas, quâ Legati bellantium popu-

lorum, totius Europæ ſenſus ingenti pectore gerentes, moras omnes, quæ adventanti PACI obſtare poſſent, ſedulò removerunt. Et verò tantam, tam vehementem rerum jactationem, cùm potentiſſimæ Nationes horrendo inter ſe concurſu collidérentur, nulla gens in Europâ fuerat, quæ non, licet quieta, ſentiret; ſed quàm paucæ quieverant! Aliæ PACIS retinentes, precibus, conſiliis, machinationibus, interdum etiam minis, omnibus denique ſtimulis ad arma impellebantur; ibi ſollicitudines, ſuſpiciones, rixæ, domeſticæ diſſenſiones: aliæ ditionis anguſtæ terminis circumſcriptæ magnorum exercituum inceſſu proterebantur; ibi vaſtitas, ac vel ſine bello omnia incommoda bellorum: aliæ irretitæ fœderibus, ſedibus ſuis excitæ, fortunam non ſuam ſequi cogebantur, trahebanturque quaſi cladium alienarum appendices; ibi mœror, luctus ac derelictio agrorum: aliæ præcipuo adverſus Gallos bellandi ſtudio inflammatæ, quæcumque mala in ceteras diſpertita procreabant, hæc ipſæ omnia patiebantur; & quo majore mole concurrebant, eo patebant latiùs omni generi calamitatum. Atque ut in immani & latè diſſipato incendio alii hauriuntur flammis, alios opem ferentes ipſe vapor afflatos enecat, alii aut ſuperincidente ruinâ opprimuntur aut dirutos lugent penates ſuos, alios pavor deturbat in præceps; ſuum quemque fatum variâ peſte conficit: ſic omnes ferè Europæ gentes in communi deflagratione diverſo genere malorum conflictabantur.

Converſa erat in pugnæ campum maximarum regionum facies. Quò non pervolavit belli furor! Trajiciebat latiſſimos amnes; montes altiſſimos tranſiliebat; ardebat inter nives ac pruinas, ſublato diſcrimine temporum; ſæviebat in mari inter procellas, ipſis procellis tetriùs; & quas inſulas in ignotis diu terrarum angulis Natura ſibi quondam ſepoſuiſſe viſa eſt, ubi integra

integra & pacata resideret, quamvis tam procul semotæ, eodem quo nos fragore quatiebantur.

Quænam est opaca illa nubes ex iis Partibus veniens, unde Aquilones erumpunt & tempestates? Jam Poloniæ campos operit, jam Germaniæ incubuit, & versus Rhenum minans provolvitur. Interea auditur vox PACIS: *Russi* consistunt; respectant confectas nequicquam immensas vias, iterque convertunt; felices, quòd novum LUDOVICI triumphis titulum non adjecerint! Felix quoque, qui vel hostibus suis indulgere cupit, LUDOVICUS, quòd in vastas Septentrionis plagas non gemitus, vulnera, orbitatem cladiumque reliquias, sed intactos artus, neque ullo malo præterquàm itineris labore fractos, remittere sibi licuerit! Redeant in sylvas paludesque gelu obductas integri, incruenti: illic artes à Gallis ad se perlatas excolere potiùs libeat, quàm hîc eorumdem manum experiri.

O quanto felicior motus, quo tota nunc Europa fervet, quàm quo priùs concussa est! Quæcumque bello conturbata, divulsa, distracta fuerant, jam naturæ suæ reddita suam in sedem ultro revertuntur. Agnoscunt filios parentes, urbes incolas ac leges suas, rura agricolas sibi restitutos. Hæc verò omnium felicitas LUDOVICI animum quàm leniter permulcet, qui, quod optimorum Regum est, non suis solùm sed & humano generi natum se putat; Regesque ideo præsertim supra reliquorum mortalium capita elatos, ut eorum beneficia ex alto possint ad plures derivari!

Sed tametsi ad omnes permanat homines in bono Rege benefaciendi voluntas; quo tamen interiore circa eum orbe contrahit illa se atque concludit, eo præsentior, ut Solis, vis ipsius est, intenditque sese ex propinquo vehementiùs; ac sociorum commoda propriis sic adjungit & immiscet, ut apud æquitatis amantes pari utraque gradu collocata, apud ma-

gnanimos viros aliena ſuis potiora etiam habeantur.

Hâc præditus animi magnitudine LUDOVICUS præcipua ſibi rerum ſecundarum præmia poſuerat in ejus Gentis utilitatibus, quæ Galliæ quondam æmula, quos tunc animos adversùs Gallos ſæpe exercuit, nunc meliore fato conſocians cum Gallorum animis, conſanguinitatis vinculo copulata nobiſcum eſt, nec minùs etiam communione periculorum & gloriæ. Conſpexerunt Alpium ſaxa Legiones Hiſpanas, præeunte fortiſſimo Principe, quidquid in eâ belli parte arduum & formidoloſum fuit, quidquid hauriendum laboris, ſanguinis effundendum, ad omnia promtas & paratas. Fruere jam & Tuis & Tuorum laudibus, PHILIPPE; his tam fauſtis, tam præclaris ominibus ingredere maternam ditionem cum auguſtiſſimâ Conjuge, quæ quo die Tecum ſplendidiſſimo connubio juncta eſt, cum plurimis virtutibus dotalem Tibi Parentis ſui gloriam, & ad ea, quæ jam per Te habebas, addita inſuper nova ad ſperandam ubique victoriam jura ſecum attulit.

Et jam tibi quidem debemus, ô fortunata PAX, munus hoc tua inter prima munera profectò jucundiſſimum, quòd longo poſt intervallo deſideratiſſimæ LUDOVICI Filiæ frui conſpectu, & noſtris infixa mentibus neque novem annorum ſpatio obliterata virtutum ſuaviſſimarum lineamenta recognoſcere nobis contigerit. Fuit, fuit illud Gallis ſpectaculum omni triumpho lætius, cùm in optatiſſimæ Familiæ toto amoris ſtudio obviàm provolantis amplexus ipſa ſeſe effunderet. Vidimus occurſum illum tenerrimæ utrinque caritatis: & Parentum, & Fratris, & Sororum lacrymas gaudio manantes vidimus; quas & oculis & intimo pectore hauriens Gallia, quæ REGUM ſuorum affectus totis medullis combibere ſolet, reddebat ipſa lacrymas dulciſſimâ pietate imbutas. Te, LUDOVICE,

invictum Bellatorem ceteræ Nationes contemplentur : nos præcipuè juvat Optimum Te Parentem, quo nomine nos maximè contingis, quo propè nos cariſſimæ Soboli exæquamur, intueri.

Neque circa nos ſolùm exoriuntur lætiſſimi PACIS fructus, ſed quàm longè protenditur Gallorum ſocietas, eò ſalus, proſperitas ac noſtra proinde gaudia propagantur. Reſpirent tandem à laboribus & honorificum ſudorem abſtergant *Boruſſi* milites, qui REGIS ſui conſilio ducti, fortibus factis incitati, quócumque jus vocabat, arma rapidè circumferentes, novi quidem Regni, ſed robuſti jam & in ipſo ferè ortu vigentis, incunabula palmis contexerunt. REX verò aſtrictâ ſibi firmiùs fœderis hujuſce nodis *Sileſiâ*, & belli pariter & PACIS artibus excellens, Imperii, primùm armis, mox legibus & ſapientiſſimis inſtitutis, confirmati bis conditor, liberales Diſciplinas & bene cohærentem cum iis Gallorum amorem retineat; nobis eò carus magis, quòd quanquam terrarum intervallo diſtans, Gallis tamen eſt LUDOVICI & amicitiâ & virtutum ſimilitudine proximus.

O Reſpublica, quondam præpollens ac toto latè interno mari imperans, quæ nunc anguſtioribus coarctata limitibus, ſuperbas tamen priſtinæ potentiæ dignitatiſque reliquias magnificè tueris, huic quidem PACI redditum tibi patrimonium & quietem debes, ſed Galliæ debes PACEM ipſam, ſalutem, libertatem. Quàm pulcrâ, quàm ſerenâ luce nitebit in poſteritatem, qui turbulentiſſimis tempeſtatibus infeſtus fuit ille dies, quo deſperatione & furore concitata libertas, exſanguem Patriam ex hoſtium faucibus eripuit, eoſque in ejus viſceribus hærentes, in ejus ſanguine ſuperbè exſultantes, verſo in rabiem extremo ſpiritu, detraxit! Illo, illo die documentum editum eſt, quàm ſint acres & exitioſi morſus

proſtratæ & proculcatæ libertatis. Hæc Genuenſibus dux, hæc ſignifer, hæc telum fuit. Non ferunt catervæ armatorum imbellem multitudinem, cui, ſublatis vivendi cauſis, vita ipſa vilis eſt : pars rapinis ſuis incubantes cæduntur ; pars magnâ ſtrage ex Urbis poſſeſſione excuſſi, in vicina montium juga frementes frendenteſque compelluntur.

Ingemuerat Genuenſium malis Europa omnis ; eorumdem audaciam admirata obſtupuit : Galli quorum in gemitu impetus, in admiratione alacritas eſt, cum Hiſpanis ad auxilium ruunt. Fruſtrà pervolitant hoſtium claſſes ; fruſtrà intercludere maria ſubſidiis parant. Vix unquam, tranquillâ PACE, tot è Galliâ naves ad comparandas Genuenſium opes procurrerant ; quot infeſtis ubique & undis & littoribus ad capeſſenda apud ipſos pericula provolârunt.

Et ſanè longè pretioſior quibuſlibet divitiis merces à Gallis petebatur ; aut Sociis ſalus, aut ſibi honeſta mors. Quoties anguſto campo, montibus circumſepto, quaſi in Amphitheatro quodam, horribili utrinque contentione concurſum eſt ; cùm illi dolore & pudore incenſi, auctis & viribus & animis, extortam ſibi prædam ſæpius repeterent ; hi & BUFFLERUM qui, eos ut eriperet, ingentem animam profudit, & RICHELIUM qui caput objectando eripuit, confidenter ſecuti, cum hoſtibus de ſalute, cum Sociis de virtute certarent ! Quænam dies, quænam nox ſuo periculo, ſuâ laude caruit ? Quænam ex tot circumfuſis cacuminibus rupes non arx quædam libertatis fuit, aliquo memorabili prælio famam conſecuta ? Nunc igitur beneficio PACIS diuturnâ obſidione liberati, efficacem & ſtrenuam LUDOVICI miſerationem experti, omnibus quæ bellum abſtulerat recuperatis, dubitandum relinquent poſteris, utrùm ſic premi calamitoſius fuerit, an ſic defendi & ſibi & Sociis glorioſius.

Quæ verò PAX amicis noſtris ita fecundam ſe præbet ac fructuoſam, an illa tandem nobis, quorum operâ præſertim exculta, quorum ſudore ac ſanguine irrigata eſt, nihil affert frugis niſi gloriam ac dulcedinem aliis commodandi? Nihil prorſus, AUDITORES; præter unum tamen, quod ipſum non arceſſitum, non poſtulatum, non expreſſum eſt, ſed ex ipſius naturâ PACIS aptum atque connexum; quo vel uno cetera Gallorum omnia bona continentur: totum nobis LUDOVICUM reſtituit; cujus in capite, providentiâ, bonitate Gallis ſecuritas omnis, ubertas, felicitaſque repoſita eſt.

Noſtræ ſecuritati, incolumi REGE, quid intervenire perturbationis poteſt? Te quidem, LUDOVICE, ad exercitus euntem, bellicoſque labores fortiter tolerantem mirabamur: quantum animorum, alacritatis, audaciæ, patientiæ ex Tuâ præſentiâ noſtri milites haurirent, quàm certa in Te uno ſita eſſet victoriæ fiducia, ſciebamus. Sed dum Tu omnes belli calamitates, omnia omnium Tuorum vulnera ſentiebas unus, nos quoque omnes Tua unius pericula horrebamus. Neque nobis quidquam prodeſſe videbatur ad animi requiem, quòd hoſtium manus tam procul à nobis arceres: Tibi in itinere, in prælio, in obſidione, in pulvere ac tumultu verſanti Gallia omnis aderat, Te ſubſequens, Te intuens, Tibi adhærens, exanimata, contremiſcens, ex Tuâ ſalute ſuſpenſa. Nunc Te jam quieto, quàm placidè conquieſcit! Nec ſolùm ad hanc urbem, quæ nullâ re magis, quàm conſpectûs Tui propinquitate ac præcipuo ſuo erga Te ſtudio ſupra ceteras Galliæ civitates aſſurgit, ſed ad ultimos Regni fines ſpirans ex Te incolumitas tranquillitaſque pertinebit. Non jam ad hoſtium irruentium ſtrepitus & minas excitata concurret noſtra Britannia; neque ruentem ex Alpibus, hiberni torrentis more, magni vim exercitûs ſubjecta Provincia excipiet; quæ quan-

quam BELLILÆI prudentiâ & virtute depulsos populatores suos & præcipiti fugâ exturbatos nunquam obliviscetur, gaudebit tamen, custode rerum PACISQUE LUDOVICO, superesse tantùm securam tot egregiè gestorum recordationem, quæ sub olearum umbrâ cum admiratione enarrentur. Hæc in LUDOVICO sibi reddito satis magna Gallis præsidia sunt ad securitatem.

Ubertatem verò, quæ & peregrinis & domesticis ex copiis efflorescit, jam sentimus maximam, majorem prospicimus. Pacato mari patent portus, qui & commoditate suâ, & comitate ac fide Gallorum, & ipsis Galliæ fructibus transmarinas opes allectant & invitant. En agrorum culturæ ceterisque artibus redditæ tot manus, quas ferri tractandi cupidas bellum occupaverat, ad vitæ subsidia & ornamenta convertuntur.

Hæc & alia PACIS bona cogitationum vestrarum celeritati relinquere me cogit ingens eorum numerus : vos in LUDOVICI erga vos amore procreanda, tuenda, amplificanda, deponite. Ex hoc sacro fonte certa felicitas. Quæ ut propria nobis ac diuturna sit, quid aliud optandum habemus, nisi ut, sospite LUDOVICO, cui PACEM florentem gloriâ, commodis uberem debemus, sospite SERENISSIMO DELPHINO, qui jam adultâ & corroboratâ virtutum indole spem nobis affirmat laudum paternarum, Galliam domesticis gaudiis affluentem nulla Exterorum injuria commoveat : atque ut & LUDOVICI moderatione omnis Europa, & ejusdem præsidio fœderatæ Gentes, & nos paternâ REGIS erga suos caritate, & ipse REX admiratione omnium, gratâ voluntate Sociorum, pietate suorum, suis etiam virtutibus ac laudibus diu perfruatur.

EXTRACTUM è Commentariis UNIVERSITATIS.

ANNO Domini millesimo septingentesimo quadragesimo nono, die vigesimâ-septimâ mensis Februarii, horâ post meridiem quartâ cum mediâ, Amplissimus D. Rector contulit se cum solito suo Rectorio Comitatu in Majores Sorbonæ Scholas, auditurus V. C. M. Carolum LE BEAU, *de* PACE *nuper promulgatâ, Universitatis nomine & jussu, perorantem.*

Postquam dicendi finis ab Oratore factus est, Amplissimus idem D. Rector, statim ab ipso digressu, habuit in Interioribus Sorbonæ Ædibus Comitia Deputatorum ordinariorum Universitatis, scilicet Sapientissimorum Theologiæ, Jurium & Medicinæ Decanorum, Ornatissimorumque Galliæ, Picardiæ, Normaniæ & Germaniæ Procuratorum, ac dixit, Orationem præfati M. LE BEAU, *antequam pronuntiaretur, à se & à nonnullis Viris Academicis, usu & doctrinâ spectatis, visam fuisse & probatam: ipsos modò testes fuisse, dum haberetur, quantâ comprobationis significatione à splendidissimo Audientium Consessu excepta fuerit: rogare se, an Placeat, eam typis mandari. Audito M.* LE NEVEU, *Syndico, re ad deliberandum propositâ,* OMNES CENSUERUNT, *præfatam* DE PACE *Orationem esse quamprimùm typis mandandam. Et ita conclusit Amplissimus D. Rector.*

HAMELIN, Rector.

N. PIAT, Universitatis Scriba.